



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Censvra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

C E N S V R A.

Tractatus de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, à P. Doctore Gaspare Hurtado conscriptos, iussu D. Licentiatum Dom. Ferdinandi de Vallesteros & Saavedra, in hac Complutensi Archiepiscopali Curia Generalis Vicarij, &c. diligens & attentus legi, nec quidquam in eis reperi, non è Catholica Fide, & bonis fidelium moribus. Admiror viri acumen, quo abstrusiora Theologiæ adyta penetrans, sapientiæ gazas plena manu dat doctis, dat perspicuus tyronibus, dat felix omnibus; implexos huc vsque difficultatum nodos extricat facili explicatione. Suspiciant alij sententiarum delectum, robur in probando, modestiam in refellendo, (quod in re Theologica maximè faciendum est) ego verò admiror strictam verbis ac rebus diffusam valdè, & succi plenam tractandi methodum, quæ gloria huius Auctoris est. Multa breuè amplectitur, diuinæ Theologiæ pretiosos thesauros vno verbo dat affatim. De hoc Auctore, non de suo Phocione, videtur mihi dixisse Plutarchus: *Animaduertit idem orationi conuenire quod nummis; qui eò sunt pretiosiores, quò in minori materia plus valoris ac pretij amplectuntur: sic optimum videtur orationis genus, quo paucis multa sunt grauer, sapienter acuteque significata.* hæc ille, hæc iste præstitit. Ergo res exigit, vt ad communem vtilitatem quàm primum euulgetur. Compluti die x x v i. Iunij, anno Domini M. DC. XXVIII.

D. Pedro de Celada Silua.

C E N S V R A.

Disputationes & Controuersias de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, quas P. Gaspar Hurtado Societatis IESV in Complutensi Academia Doctor primarius, in lucem edere conatur, supremi Senatus iussu magna animi voluptate perlegi; & alijs huius Magistri operibus excitatus, in eis nihil Fidei, Sacrorum Conciliorum integritati, sanctorum Patrum consensui, pijs moribus repugnans, sed potius opus politum, ex lapidibus quadratis confectum reperi. Auctor hic merito Magister sententiarum nuncupari debet; siquidem non plura, sed plurima vno verbo complectitur: quapropter Opus hoc typis mandari debere, & animum Auctoris ad vltiora progredientem inducere iudicavi. In quorum fidem subscripsi in Ecclesia parochiali S. Genesij Matritensi, vii. Calend. Octobris, anno Domini M. DC. XXVIII.

D. Ioseph de Argaiç.

T R A.